



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

6. Controversum est, si Pater Dominusvè, cum quo de peculio agi poterat, latitet, an in bonorum eius possessionem missio fieri possit, etsi nihil in peculio sit? Negat Papinian. Affirmat Ulpian. in *L. Fulcinius. §. si quis actione. 15. ff. quib. ex causis in poss: eat.* de conciliandis, vide *Donell: c. 11. con: 11.* Æq; controversum est, si in bonis sint fructuarii aut vectigales, an in eos quoque fiat missio? Fit: salvo tamen jure domini, idemq; de feudali prædio dici potest. *Gail: 1. observ: 117. L. 6. 9. §. Prædium. ff. de leg: An in bona quoq; municipiorum missio fieri potest? quidni? cum habeantur loco privatorum. L. bona. 15. ff. de v. s.* Quid si bona non habeat municipium? Respondent DD. contributionem à municipibus faciendam. *Gl: in L. 1. §. fin: ff. quod cui unius nom.*

7. Cæterùm missus in possessionem rei servandæ gratia, custodiam & observationem rerum consequitur, quæ etiam fructuū colligendorum potestatem continet: non ut eos lucretur, ne quidem pro sustentatione, saltem regulariter, sed ut custodiat. *L. 7. pr. ff. quib. ex causis in poss: eat.*